



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Pancratis M. 12. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

statuit. GANGVLPHVS aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam; fons, inaudito miraculo, eum sequitur, & Varenis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, serò jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare GANGVLPHVS uxorem iussit, absolurus eam, si id impune fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera; sed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè ustulatum retulit; nullo tamen, præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & denique adulterio paricidium conjunxit. Id ubi amator illius (pro pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem animam cum alvo deiecit. GANGVLPHVM miracula divis exæquarunt; quæ cum adultera traduceret, infami per omnem vitam supplicio est exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, literæ erubescunt, *Ex Surio.*

Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris juratum putes. De quo Salvator ad discipulos ait. Non jurate omnino: Sit autem sermo vester, Est Est, Non Non; quod autem his abundantius est, a malo est. S. Hieron. ep. 14.

Non omnes serò sapere Phryges, PANCRATIVS ipse quoque Phryx ostendet. Quatuordecim non amplius natus annos vitâ quàm Christum maluit perdere, quæ quidem summa est sapientia. Principe familia, Cledonio patre ortus, eoque mortuo, Dionysio patruo in tutelam commendatus Romam cum eo commigravit, quo tempore Diocletianus, Christiani sanguinis gut-

ges, totius Imperii viribus ad excindendam innocentiam abutebatur, commodum accidit, ut in eadem regione urbis Romanus Pontifex latitaret, in qua PANCRAIIVS domicilium collocarat, nimirum ut dignissimâ manu hoc lilium Numini consecraretur: cuius impulsu PANCRAIIVS ultro cum patruo illis ab eo tingi aquis petiit, quibus omnes cæli flores rigantur. Voto potitus tam suavem pietatis halare odorem cœpit, ut venaticos Diocletiani canes, omnia Sanctorum vestigia odorantes, non potuerit latere. Raptus ad tribunal quantumvis sanguinarios Cæsaris oculos rapuit, qui tamen præter oris formam nihil intuebatur. Ergo blanditias primùm admovit, infantulum appellitans, & filii nomen offerens, si se patrem, & Iovem habere Deum voluisset. Vtrumque contempsit, & Iovem quidem generosissimè, negans tam puerum esse se, ut adulterum, & sororis suæ maritum sibi putet adorandum. Diocletianus ne plura audiret æquè erubescenda, iussit hunc omnis elegantix flores demeti, cuius sanguine utinam Mariani rigentur horti; ò quales nascuntur Narcissi! Ex Surio & Brev. Rom.

Qui differt in futuram & forsitan non futuram ætatem suam vitam corrigere, certum bonum dimittit procul dubio; & contemnendo, quod perdit, probat se non amare, quod expectat, & meretur non accipere. S. Anselm. ep. I.

S. EPIPHANIVS EP. 12. Maij.

I Vvat suavitatem divinæ circa teneram ætatem providentiæ in EPIPHANIO agnoscere. Is Phœnix gente, sectâ Iudæus, patrem decennis amisit. Accedente ad orbitatem egestate, equum indomitum